



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Quae generatim ad haec monita pertinent.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

Qui Vicarius, & notario, & alijs etiam, qui eo in genere operam nauauerint, debitam mercedem statim persolui iubeat, cancellaria pecunia, alia ve ratione, ac si necesse erit, ex ærario multarum.

## MONITA

Executionis Decretorum, quæ ad bona Ecclesiastica pertinent.

Tit. 3. decret.  
21. pag. 72.

**D**E bonis ecclesiasticis melioribus reddendis, præstetur, quod decretum est in concilio prouinciali secundo. In qua re Visitatores omni diligenti ratione, etiã fructuum sequestro illud curent, vt ea bona vbiq; illorum, qui beneficia obtinent, impensis, quatenus opus est, meliora reddantur omnino.

De syngraphis, aut confessionibus locationum, liuellorum ecclesiasticorum, publico instrumento conscribendi, ex decreto concilij prouincialis secundi.

Id. decret.  
ca.

Id præstetur multa pena ve constituta amissionis dimidiæ partis fructuum vnius anni.

Hæcque omnis executio Visitatoris sit, & Vicarij diæcesani.

De mendicantibus.

**C**ONTRA medicos nulla inuale tudine morbove affectos, & alios quoscunq; qui sine facultate scripta elemosinã in diæcesi querant, Vicarius foraneus agat: atq; vt istorum delicta, & nequitia, vel malitia potius consulatur, ad congregationem mendicantium referatur.

Idem ab eo præstetur contra illos, qui sine ea facultate elemosinam monialium nomine in diæcesi conquirunt: & præterea contra moniales ipsas, quæ alienæ diæcesis sunt.

De capsulis, vasculo, mēsa, sine facultate scripta nõ exponēdis ad vsum colligendi elemosinas, id omne præstetur, quod sancitum est in concilio prouinciali quart.

Id ipsum omne, tū de facultate scripta, tum de duabus clauibus, seruetur, & præstetur itidem de capsulis, seu busulis elemosinarijs, qui alicuius, vel ecclesie, vel scholæ, vel loci pii, vel alterius pii instituti per urbem diæcesimve circumferuntur.

Quæ capsulæ elemosinariæ cõstitæ sint

ad præscriptum formulæ nostræ, ac præterea a deputato nostro obsignatæ signo S. Ambrosij.

Alioqui Vicarius diæcesanus, & præterea Visitator regionarius vrbis illas auferri; & qui easdem circumferunt, puniri curent Vicarius noster, & Generalis; & Criminalis: cui vtrique hanc curam delegamus.

De Regularibus.

**VICARIO** diæcesano, aut parcho, antequam regulares ad elemosinas in Vicariatu viciniaq; parochiali conquirendas admittantur, eorum facultas exhibeatur.

Is autem omni modestia videat, an vniversè, an verò speciatim ad certa loca tantummodo ea facultas pertineat: sicque ne limites facultatis ab ijs excedi patiatur.

Parochus aut si quid in ea re dubij erit, Vicarium diæcesanum consulat.

Vicario vnicuique diæcesano facultatem delegabimus agendi contra regulares delinquentes in casibus, in quibus contra eos agere Episcopus potest de iure, tam auctoritate ordinaria, quam ex Concil. Trident. aliterve delegata.

Qua tñ facultate Vicarius diæcesanus utatur omni moderatione, & prudētia.

Quæ generatim ad hæc monita

**QVÆCUNQVE** executio inferioribus delegata est, eadē superioribus etiã cõmissa censeatur: ita vt quæ parochi præstare debēt, in illis ipsis exequendis Vicarius diæcesanus, & Visitatores, & Vicarij superiores, pro suo cuique officio incumbant diligentissimè.

Quicunq; monitis, decretis, eorumque executioni non paruerint, etiam vbi in illis ipsis certa pena constituta est, aliã præterea penam subeant arbitrio Vicarij Generalis, aut Visitatoris.

Multa penaq; in tabella cõstitutæ, quæ de erratorum multis iam pridem edita est, si in hoc monitorum decretorumq; libro grauiores sancitæ nõ sunt, quam in ea ipsa erratorum tabella, vt ad eiusdem tabule præscriptum persoluantur, officium curaq; sit vniuscuiusq; Visitatoris, & Vicarij diæcesani.

**EDICTA**